

ecclesiae visibilismembris possunt competere. Et de illuminatione quidem dubium plane nullum est: amplior illa irrogenitis & improbis quibusdam obtingit, quam piis multis, qui mysteriorum coelestium saepe exiguam habent notitiam, vti videre est in gente rustica & mechanica. Illuminationem illam in nonnullis sequitur desiderium aeternae felicitatis. Quis enim bene sibi non cupiat? Ita quoque dulcedine felicitatis illius aliquo modo adficiuntur, & in aliquam se diffundunt laetitiam, quamuis interim fiducialiter Christum non amplectantur. Syll. Quod competit quibusdam etiam irrogenitis, non est proprium renatorum. Illuminatio per spiritum sanctum & desiderium aeternae felicitatis competit quibusdam etiam irrogenitis. Ergo. Respond. per infitiationem minoris. Fieri quidem potest, vt irrogeniti etiam participes interdum notitiae litteralis articulorum fidei vel fidei historicae euadant, atque hac palmam promiscuae renatorum plebeculae ambiguam reddant; quid? praeripiant, imitatione Pharisaeorum, de veritate doctrinae & miraculorum Christi in conscientia cumulate conuictorum, immo & cacodaemonum historice ita credentium, vt contremiscant; *Iac. II. 19.* Illuminatio autem & obsignatio agnitae veritatis coelestis per gratiosam spiritus sancti inhabitationem, vel participatio spiritus sancti, & aeternae beatitudinis *πρόβυσσις*, regenerationem ubique comitem sortitur. Nimirum, qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei, *Rom. VIII. 14.*

IAC. HENNINGIVS, *Theol. Prof. & Past. Iacob. in disput. de Christiani hominis natiuitate & vita, cap. 3. parism. 3. §. 1.* Mediatam illuminandi rationem ad viam pertinere dicimus; quae complectitur internam illam spiritus sancti operationem in cordibus fidelium, quam mediante verbo in illis producit, illuminando & docendo intellectum, impertiendo bonos motus & cogitationes, instituendo mores, depellendo moerores, dando denique firmum de *ὁμοσερία* testimonium, *Rom. VIII. 16.*

Idem HENNINGIVS, in *disp. de fanaticismo Iac. Boehmii, puncto I. tb. I. §. 3.* Conuersus, post in peccatum relapsus, tamen historicam quamdam retineat mysteriorum fidei notitiam, saluificam tamen amisit; ex se, nisi spiritus sancti reuocatrice & restaurante gratia excitetur & illuminetur, ad peccati sui foeditatem rite agnoscendam non segnis modo, sed & impar est.

LENAE, LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

Coll. d. 100. A

788, 21